

Respondent Eruditi, illas Synodos, & Pontifices non decernere, an Canones Apostolici vere, an falso Apostolis inscribantur, uti nec questionem illam, quæ ad ipsum institutum minime pertinebat, expendunt: sed eos sub nomine Apostolorum citantur, quia, ut ita citarentur, inoleverat usus. Caterum omnes illæ Synodi, Pontifices, & Auctores sexto sæculo posteriore nequaquam veteribus Synodis, Pontificibus, & Auctoribus juxta criticæ regulas anteponendi sunt. Quod autem post V. sæculum hi Canones passim sub nomine Apostolorum non alio fine citati fuerint, quam quia sic eos citandi usus inoleverat, patet illustri exemplo Urbani II. qui sæculo XI. sedit; hic enim in ep. ad Præpositum S. Juventii relat. *diff. 32. c. 6.* & à nobis supra N. 36. adducta, dicit, *Canones Apostolorum* videl. 45. & 46. *Hæreticorum baptismum lavacrum diaboli appellant.* Quos postea dicit una cum Cypriano merito à Stephano, & Cornelio esse reprehensos. Et *Canones Apostolorum* vocat, & tamen non credit ab Apostolis editos; alias non ajeret eos esse merito reprehensos.

58. Instabis. Correctores Romani *diff. 16. ad c. 4.* contrarium sentiunt his verbis: *Cum Hadrianus Papa sextam Synodum recipiat cum omnibus Canonibus suis, — in sexta autem Synodo, sive in septimo Concilio Apostolorum Canones sint recepti, & approbati, patet, quod non sint inter apocrypha deputandi.*

Resp. I. Ex hac autoritate sequi, quod Ecclesia Latina omnes 85. Canones receperit, qui totidem à Synodo Trullana sunt approbati, quæ est singularis Turrianæ sententiæ, supra N. 27. ab omnibus Eruditis rejecta.

Resp. II. Ex eo, quod 50. priores Canones ab Ecclesia Latina tanquam Ecclesiasticæ Regulæ sint recepti, non sequitur eos non esse apocryphos in sensu mox explicando; sed tantum, quod vim legis habeant in tantum, in quantum illis per

posteriora jura, legitimasque consuetudines non fuit derogatum.

Resp. III. Opponendo cum omni reverentia Viris illustrissimis Patronos nostræ sententiæ subsellii non inferioris.

59. Quæres: An Canones Apostolorum ita sint apocryphi, ut unus aliquis impostor eos ex cerebro suo finxerit, & Apostolis supposuerit; an vero tantum ita, ut primorum Patrum, & Conciliorum statuta desloraverit, atque in hunc ordinem sub specioso Apostolorum titulo digesserit?

Resp. Ex supra relata combinatione horum Canonum cum Canonibus Conciliorum, & Patrum primorum V. sæculorum, à Cl. D. Giberto facta, verosimillimum esse secundum. Quamvis propter *Can. 45. & 46. Sec. non infundate suspicetur Natalis dissert. 18. in sæculum I. haec collectionem, saltem quoad antiquos Canones, obumbrante spiritu contentionis, & pertinaciæ à Patribus tum Orientalibus, & tum Africanis, qui Firmilianæ sententiæ contra Stephanum Rom. Pontificem mordicus adharebant, circa a. 258. conceptam, atque deinde ab uno aliquo in lucem editam fuisse, ut traditionem scriptam deinceps objicere possent illius sectatores sententiæ Romanis, aliisque Occidentalibus, non scriptam objicientibus traditionem. Eam enim conjecturam juvat 1. Canon Ap. 36. qui mensis Hyperberetari meminit, quo significatur October lingua Syromacedonica, cujus tunc erat usus per Orientem. 2. Quia Canones 45. & 46. ipsam Concilii Iconiensis cit. a. 258. celebrati, sententiam de rebaptizandis hæreticis exhibent, ut constat ex Firmiliano rem gestam ita narrante in ep. ad S. Cyprianum: *Hæretico enim sicut ordinare non licet, nec manum imponere: ita nec baptizare, — quod totum nos jam in Iconio — confirmavimus, tenendum contra hæreticos firmiter.* Itaque tunc adnotata ex parte videtur Canonum Apostolorum collectio ab Orientalibus Episcopis. Quod cum contingere potuerit à sæculi*

culi III. finem, vel initium IV. non mirum, quod hæc collectio sub hoc specioso titulo usque ad sæculi V. medium, vel finem (quo sub eodem à Græcis jam usurpata certo constat ex dictis N. 22.) sensum sine sensu invaluerit.

§. II.

De Collectione Constitutionum Apostolicarum.

60. **C**onstitutiones laudatæ 8. libris comprehensæ circumferuntur. Auctores earundem lib. 8. c. 4. apud Coletum *Tomo I. Conciliorum*, in quo & excusæ sunt, pag. 459. constituuntur ipsi Apostoli his verbis: *Nos igitur 12. Apostoli Domini, qui una sumus, has vobis Constitutiones de omni ecclesiastica forma indicimus, presente Paulo, vase electionis, & Coapostolo nostro, & Jacobo Episcopo, ac reliquis Presbyteris, & 7. Diaconis.* Divulgator vero earundem in iisdem commemoratur S. Clemens Romanus, S. Petri discipulus, ejusque postea in Sede Apostolica Successor his verbis: *Doctrinam hanc nostram per comministrum nostrum Clementem misimus.* Quo fit, ut quemadmodum Canones Apostolorum, libri Recognitionum, & nonnulla alia, ita & hæ Constitutiones olim inter opera Clementina numerarentur.

61. Illis, teste Bellarmino, de *Scriptoribus Ecclesiasticis*, dicuntur Æthiopes uti, tanquam vere Apostolicis, & ea de causa in erroribus versari circa cultum Sabbathi, & diei Dominicæ, & circa ministrum Sacramenti baptismi, & circa nonnulla alia dogmata, quæ in his Constitutionibus notantur ab Eruditis, atque propterea Apostolis, atque Clementi Romano unanimiter adjudicantur.

62. Illas è Græco in Latinum sermonem transtulit Carolus Bovius & a. C. 1563. in lucem emisit. Easdem Turrianæ latine interpretatus est, & commentariis

illustravit. Eas cum Conciliis Sarius, & Binius in suis Conciliorum editionibus evulgavit; quas tamen idem Binius in altera Conciliorum adoratione, quam An. 1608. in lucem emisit, ex levisimâ ratione, ut conqueritur Labbæus, expunxit. Exstant apud Coletum tom. I. *Concilior. à pag. 195. usque ad pag. 512.* sub hoc titulo: *Constitutiones, quæ tribuuntur Apostolis.*

63. Antiquissimas esse docet vir in re Canonica peritissimus Gabriel Albaspinæus, Episcopus Aurelianensis *lib. 1. Observationum c. 13.* relatus apud Coletum *tom. 1. pag. 193.* in observatione Labbæana, multaque in illis excellentissima, & magni ponderis contineri; nec dubitare se, quoniam olim Græcæ Ecclesiæ pro legibus, Manuali, & Pontificali seu Rituali, ut vocant, codice inserviverint; satisque constare, nil quiddam in iis reperiri, quod ecclesiasticæ primorum IV. sæculorum disciplinæ consentaneum non sit.

64. Porro hos libros ab hæreticis, græculisque lapsu temporis fuisse adulteratos, non tantum cum Canone 2. Synodi Trullanæ, infra referendo, fatetur Baronius, Bellarminus, Perronius, Sirmondus, Petavius, alique Latini Scriptores, post Zonaram, Balsamonem, aliosque Græcos; sed ex ipsis etiam Constitutionibus eruitur. Nam I. de Filii & Spiritus S. Divinitate male sentiunt, siquidem inter hæreticos recentest illos, qui *suspiciuntur Jesum esse Deum super omnia lib. 6. c. 25.* Ipsum fingunt ministrantem Deo suo, ac *Patri ad rerum omnium creationem, lib. 5. c. 19.* Patrem genuisse Filium ante sæcula voluntate, & potentia, & bonitate, *lib. 8. c. 12.* Episcopum Deo Patri similem asserunt; Diaconum Christo, qui Patri ministrat, & in omnibus assidit; Spiritum S. Diaconissæ; quæ, ut nihil sine Diacono facere debet aut loqui, ita Paracletus nihil à se ipso loquitur, aut facit, sed, Christum glorificans, voluntatem illius expectat. *Lib. 2. c. 26.* Patrem vo-

cant Dominum Spiritus, Lib. 8. c. 37. & Lib. 5. c. 6. ajunt: Nos baptizari in mortem Christi, in auctoritate Dei universorum, & in testimonio Dei Spiritus S. Quæ, quantum Arianis, & Macedonianis faveat, nemo oculatus non videt.

II. Quartum conjugium & deinceps manifestam esse scortationem, & indubitatam impudicitiam, decernunt.

III. Concedunt ancillis, ut heris infidelibus ad libidinem morem gerant, modo folis. L. 8. c. 32.

IV. Baptisimum ab hæreticis collatum iterari jubent. L. 6. c. 15.

V. Sabbathi solemnem celebrationem æque ac Dominicæ diei constituunt. Lib. 8. c. 33.

VI. Elementis fidei imbuendum, & baptizandum esse decernunt eum, qui Eucharistiam imprudens gustaverit, lib. 7. cap. 26. quasi Apostoli non baptizatis Eucharistiam porrexerint.

VII. Affirmant, se à Christo audivisse, oportere eum, qui Pastor est, & Episcopus in Ecclesiis totius Parviæ constitutus; non minorem natu esse, quam annorum 50. Quod nusquam Apostolis, aut Apostolicis Viris in mentem venit; cum S. Paulus ad Timotheum scribat: Nemo contemnat adolescentiam tuam. Id autem habent Constit. l. 2. c. 1.

VIII. Constitutiones editas ait illarum Author à 12. Apostolis, præsentè Paulo, & 7. Diaconis, lib. 8. c. 4. at Stephanum inter 7. Diaconos primarium martyrium obiisse constat, antequam Paulus ad Apostolatum à Christo voceretur, Actorum 7.

IX. Jacobum Zebædi filium inducunt Concilii Hierosolymitani historiam narrantem, Constitutiones ipsas cum cæteris Apostolis condentem lib. 6. c. 14. & 22. cum conset ex Actorum 12. Jacobum ab Herode occisum esse ante Concilii Hierosolim. celebrationem. Quod idem testatur ipse Compilator harum Constitutionum l. 5. c. 7. crassissimo anachronismo.

X. Inter libros, quos in Ecclesia legi

præcipiunt, Evangelium S. Joan. recensent l. 2. c. 57. cum illud scriptum non esse constet ante a. c. 97. quo tempore Petrus & Paulus, alique Apostoli jam mortui sunt.

XI. Philippum, à quo Simon Magus baptizatus est, Apostolum faciunt, quem Diaconum duntaxat fuisse constat.

XII. Jacobum fratrem Domini extra numerum Apostolorum ponunt lib. 6. c. 14. contra S. Pauli verba ad Gal. 1. scribentis: Alium Apostolorum vidi neminem, præter Jacobum fratrem Domini.

65. Hæc aliæque momenta faciunt, ut Eruditis N. 64. relatis, aliisque fere omnibus Constitutiones istæ non tantum videantur interpolatæ, sed etiam ipsis Apostolis, Clementique suppositæ. De quibus proinde fit

QUÆSTIO CRITICA.

Utrum Constitutiones, dictæ Apostolicæ, ab Apostolis per Clementem sunt editæ?

PROPOSITIO.

Constitutiones, dictæ Apostolicæ, non sunt ab Apostolis per Clementem editæ.

66. **P**robatur, quod ab Apostolis non sint sancitæ, ex unanimi Patrum, Scriptorum Ecclesiasticorum, & Conciliorum priorum. 4. Sæculorum de his Constitutionibus silentio: ad ejus argumenti robur, & amplificationem, omnia, quæ supra Numeris 22. 28. & 29. ad abjudicandos iisdem Apostolis Canones, dictos Apostolicos, ex eodem silentio Antiquorum petita posuimus argumenta, hic submittant. Nam imprimis hæ Constitutiones Apostolicæ, sicut Canones Apostolorum non sunt relatæ in sacrum Canonem. Secundo, illorum non meminerunt Scriptores Ecclesiastici ibi relati. Tertio, illas

non

nunquam memorarunt Patres primorum sæculorum, etiam occasione data; eorundem autoritate nunquam usi sunt ad revincendos hæreticos; ac demum ab illarum doctrina passim recesserunt: ergo vel ipsis erant ignotæ, vel apocryphorum loco habitæ.

Probantur hujus tertii membri partes omnes accurata inductione. S. Justinus Martyr, qui secundo sæculo vixit, in suo dialogo cum Tryphone passim testatur, Sabbathi Religionem passione Christi fuisse abolitam, nec à sui temporis Christianis observata fuisse Sabbatha, conventibusque publicis celebrata: contrarium docetur in Constit. his lib. 8. cap. 33. & alibi.

S. Irenæus, qui floruit secundo canefcente sæculo, in opere suo adversus hæreses epistolam Clementis ad Corinthios non semel citat, nullibi tamen autoritate Constitutionum Apostolicarum hæreticos refellit.

Præterea idem Irenæus in ep. ad Victorium Rom. Episc. cujus fragmentum refert Eusebius lib. 5. Hist. Eccl. c. 26. testatur, consuetudinem Paschæ luna 14. cum Judæis celebrandi jam temporibus Aniceti, Telephori, Xisti, & Soteris, Victoris Antecessorum apud Asiæ Ecclesias viguisse, & in eo ritu fuisse à Romana Ecclesia toleratas; & consequenter Constitutiones Apostolorum, quæ Pascha cum Judæis Christianis celebrare vetant l. 5. cap. 16. latuerunt Viros Sanctissimos Polycarpum, Thrafsam, & cæteros Asiænos; Apostolicis nominis observatissimos: alioquin nunquam legem tam claris tamque disertis verbis, ab Apostolis (ut ibi singulari capite fingitur) latam, temere violassent. Sed & Victor ipsis Constitutionum Apostolicarum auctoritatem proculdubio objecisset, quoniam Joannem sui moris auctorem faciebant.

Clemens Alexandrinus, qui secundo sæculo florere cepit, frequenter laudat genuinam Clementis Romani ad Corinthos epistolam, & satis prolixos textus ex ea

describit lib. 1. 4. & 6. Stromatum, de his Constitutionibus ne hilsens quidem.

Tertullianus, Clementi equalis, si Constitutiones illas novisset, vel alicuius in Ecclesia autoritatis existimasset, animam nostram non asseruisset corpoream, quam istarum Constitutionum Auctor lib. 6. c. 11. disertis verbis expertem corporis, & immortalitate præditam asseruit; nec Laicis baptizandi potestatem concessisset lib. de bapt. c. 17. quam Auctor Constitutionum iisdem admittit lib. 3. c. 10. Nec adeo impotenter Zephirini Papæ decretum, fornicatoribus ædium per penitentiam ad reconciliationem referans; invalisset, ac dilacerasset; cum idem Auctor harum Constit. penitentes absque discrimine recipiendos tam frequenter moneat lib. 2. c. 12. & seqq. Certe cum nullus Veterum has Constitutiones adversus Novatianos produxerit; cum Tertullianus ipse, qui in suo libro de impudicitia solvere nititur, & explicare momenta omnia, quæ Catholici Montanistis, penitentia hostibus, opponebant, librum ipsius Pastoris, quem proferebant ad causæ Catholicæ præsidium, libere inter apocrypha amandet cap. 10. cum (inquam) Tertullianus ne verbum quidem faciat de Apostolicis illis Constitutionibus; sequitur illas & Tertulliano, & illorum temporum Catholicis ignotas proflus fuisse, aut in apocryphorum numerum communi consensu ablegatas.

Origenes nedum Constitutionum Apost. non meminit, sed eas sibi invias fuisse, aut nullius autoritatis indicat; siquidem dies festos recensens lib. 8. contra Celsum, Natalem Christi, Epiphaniam, Ascensionem, & Apostolorum Natalitios, quos omnes recensent hæ Constitutiones, omittit.

S. Cyprianus cum Africanis, & Asiæ Episcopis nunquam causam suam de iterando baptisinate Hæreticorum contra Cornelium, Stephanum, & Occidentales, harum Constitutionum autoritate titutus est; qua tamen nihil validius in

Q 2

rem

rem suam adducere potuissent; siquidem omnium Hæreticorum Baptisma reprobant *lib. 6. c. 15.*

Ignotas fuisse IV. sæculo Constitutiones Apostolicas suadet Arianorum silentium, qui nihil ex iis ad erroris sui patrocinium adhibuerunt, uti demonstrat S. Athanasii silentium; & tamen ipsis quam maxime favent sententiæ supra N. 64. primo loco ex iisdem adductæ.

S. Basilus M. easdem Constitutiones ut ignoraverit, vel nihil fecerit, necesse est: siquidem *libro de Spiritu S. c. 27.* negat scripto ullo tradita esse quædam eorum, quæ ibi scripta leguntur variis in locis, scilicet, *ut signo Crucis eos, qui spem collocarunt in Christum, signemus: ut ad Orientem versi precemur; invocamus verba, cum conficitur panis Eucharistiæ, & poculum benedictionis: consecrationis aque baptismalis, & olei unctionis; trinam personam in Baptismo.* Et alia id genus.

Quæ omnia simul sumpta, & ex Natali Alex. dissert. 19. in sæculum I. ob chronologiæ ordinem ab eo servatum, à nobis in similibus electum, huc transcripta, evidenter videntur probare harum Constitutionum suppositionem, & non nudam interpolationem. Qui enim, amabo, fieri potuisset, ut libri ab Apostolis compositi, in quibus latissime descripta habetur omnis pene Ecclesiæ disciplina, atque per Clementem Apostolicum Ministerium ad Ecclesias missi, uti supra N. 60. vidimus, primos Apostolorum Successores omnes ad unum latuissent, si revera tales extitissent?

67. Probatur, quod à Clemente laudatæ Constitutiones non sint editæ sive divulgatæ: & primo ex eo, quod argumenta hucusque allata eas abjucient Apostolis: ergo etiam Clementi, per quem N. 60. mox relato dicuntur missæ Ecclesiis. Secundo ex genuina Clementis Epistola ad Corinthios, in qua Phœnicis historiam aliter prorsus narrat, quam Au-

thor harum Constitutionum *lib. 5. c. 6.*, prout ibidem habet nota marginalis apud Coletum. Nam verus Clemens Phœnicem in Arabia mori facit, ille vero Heliopoli in Ægypto.

Momenta Adversariorum expenduntur.

68. **A**dversarii Græci, Latiniq; ut argumentum ex silentio antiquorum desumptum enervent, quædam ex Patribus primorum 4. sæculorum adducunt testimonia, quæ suæ sententiæ patrocinari existimant.

Et primo quidem ac præcipue jactant auctoritatem S. Epiphanius sæculi IV. Scriptoris, qui Constitutionum Apostolicarum sæpe meminit, & nonnulla ex ipsis refert, quæ in ipsis, quos habemus, Constitutionum libris, leguntur. Et I. quidem illarum meminit Hæresi 45. 75. & 80., earumque auctoritate Aetianos, & Meffallianos hæreticos premit. Secundo, ejusdem Sanctissimi Patris de his libris sententiam Iulcentius expressam legimus hæresi 70., quæ est Audianorum, in sæpius citata editione *pag. 195. col. 2.*, quos ait, suum de Paschate cum Judæis celebrando errorem ex Apostolorum Constitutionibus confirmasse, easdem videlicet perperam interpretando. Additque, Apostolos illa Constitutione præcepisse, ut Episcopos Jerosolymitanos, etiam errantes in Paschatis celebratione, totus orbis Christianus sequeretur.

Resp. S. Epiph. LL. cc. & præsertim illo, quem adducit hæresi 70. de aliis ab illis, quas modo habemus, Constitutionibus loqui. Nam illæ, quarum meminimus, nihil aut in fide, aut catholica professione depravatam — *continebant*, teste eodem I. c., nostras in utroque aliquoties peccare supra N. 64. evicimus. Secundo, quæ ex suis laudat, ac describit Epiph. in nostris non leguntur; imo quædam leguntur in nostris contraria. Nam in illis Constitutionibus statuebatur Pascha cele-

bram,

brandum cum iis Christianis, qui Hierosolymis in Circumcisione erant, ut videre est I. c.; adeoque cum Judæis, quorum illi diem celebrabant: nostræ vero Constitutiones vetant expressis verbis cum Judæis Pascha celebrari *lib. 6. c. 15.* Porro si hæc in antiquis illis codicibus legebantur, mirum est S. Epiph. illorum auctoritatem non retorsisse contra Audianos, qui ipsis abutebantur, ut Pascha Judæorum more celebrandum esse probarent. Non legitur etiam in Constitutionibus, quæ penes nos sunt, quod ex suis Epiphanius citat: *Qui affixerit animam suam Dominica die, maledictus est Deo:* ergo Epiphaniæ Constitutiones plane diversæ erant à nostris.

69. Dices: Ex his quidem sequi Constitutiones nostras esse interpolatas; non autem Apostolis suppositas, alias ab Epiphanio toties laudatæ non fuissent.

Resp. Epiphanium equidem librum Constitutionum Apostolicarum, ut apostolicum citare tum alibi, tum præcipue hæresi 70. relata; at ibidem addere: *Qui liber cum apud multos in ambiguo sit, &c.* & consequenter sæculo IV. de illo libro, qualicumque fuerit, à multis fuit dubitatum: quod dubium, junctum cum silentio qualificatissimo Patrum trium priorum sæculorum supra relato, illas evincit supposititias.

70. Obijciunt II. auctoritatem S. Cyrilli Jerosolymitani, historiam Phœnicis Catechesi 18. ex Clemente narrantis, quæ exstat in his Constitutionibus.

Resp. Cyrillum hanc historiam narrare ex genuina Clementis ad Corinthios epistola, non ex his Constitutionibus, quas ex ipsa epist. Clementis relata supra N. 67. probavimus eidem esse suppositas.

71. Obijciunt III. S. Athanasius eodem IV. sæculo florens, in ep. festalis fragmento, edit. cit. *pag. 444.* inter libros ab apocryphis distinctos habet librum *Pastoris, & doctrinam* (ut vocant) *Apostolorum.* Et in Synopsi S. Scripturæ, quæ

ibidem exstat *pag. 399. col. 1.* inter libros novi Testamenti, quibus contradicitur, numerat *doctrinam Apostolorum, & Clementinam;* & consequenter Ath. laudavit, & approbavit Constitutiones Apostolicas.

Resp. I. Usserium in dissert. de epistolis S. Ignatii Martyris demonstrare, Athanasium nomine *doctrinæ Apostolorum* non intellexisse has Constitutiones. Unicum ex ejus convincentibus rationibus adduco; quia Athanasius I. c. ex Synopsi S. Scripturæ velut diversos libros recenset *doctrinam Apostolorum, & Clementinam.*

Resp. II. S. Athanasium in Synopsi librum illum inscriptum, *Doctrinam Apostolorum*, inter nothos, ac reprobos censere. Postquam enim illum cum aliis numeravit, subjungit: *Hi omnes quidem cognitionis gratia expositi sunt; ceterum omnino perverſi, & falso scripti sunt, & nothi ac reprobi.* Concinit Athanasio Eusebius *lib. 3. c. 19. Doctrinam Apostolorum* inter scripturas, quæ falso inscriptæ, minimeque germanæ dicuntur, recensens.

72. Obijciunt IV. Synodus Trullana habita a 691. Canone 7. apud Colet. *tom. 7. Concil. pag. 1343.* agnoscit præsentem Constitutiones ut opus Apostolorum, quamvis eas legi prohibeat, quia ab hæreticis interpolatas censet: ergo non sunt apocryphæ, sed ad summum interpolatæ. Idem sensit Photius, vir summæ eruditionis, & lætionis.

Huic argumento servit responsio supra N. 57. agendo de Canonibus Apostolorum adducta, quæ proin ibi legatur, ne crambem recoquamus. Quod Photium attinet, dico, illum hæc sensisse, quia illum causæ suæ adversus Latinos studium in transverſum egit, & quia nonnulla in his Constitutionibus legit, quæ suis erroribus favebant.

73. Ceterum, quod addunt, Photium, ceterosque Græcos fretos esse auctoritate Dionysii Alexandrini, apud Eusebium *lib. 7. c. 6.* nego Eusebium textum ibidem à se relatum desumpsisse ex *lib. 2.*

c. 36. harum Constat. Nam verba illa, ab eodem tanquam voci Apostolica consentientia relata, videlicet: *Stis diligentes animadversatores, & velut Trapezita, qui argumentum probant; quavis non literis, sensu tamen continentur in illo Pauli 1. ad Thesali. c. 5. Omnia probate, quod bonum est, tenete.*

§. III.

De Collectione Canonum Pœnitentialium.

74. **Q**ui ad studiose Juventutis instructionem Corpus Canonicum compilavit, ad calcem decreti Gratiani Canonum Pœnitentiales exhibet, cum hac epigrapha: *Canonum Pœnitentiales, quorum notitia Viris Ecclesiasticis est valde necessaria; sunt enim regule directivæ ad pœnitentias delinquentibus imponendas; prout habetur in Corpore Juris Canonici edito Colonia Munatiane A. 1670. pag. 1255.*

75. Sunt autem numero 47. quos hic ex eodem fine, omiſſa brevitate ergo Compilatoris præfatione, & quibusdam scholiis, apponimus.

Canonum Pœnitentiales.

1. **S**i Presbyter fornicationem fecerit, pœnitentiam decem annorum faciat, hoc modo: scilicet, quod sit inclusus, sive à cæteris in aliquo loco remotus: sacco indutus, & humi prostratus misericordiam Dei jugiter implorans: primis tribus mensibus continis à vespera in vesperam pane & aqua utatur, exceptis Dominicis diebus & festis præcipuis, in quibus modico vino, pisciculis, & leguminibus recreetur. Elapsis autem sic primis tribus mensibus de illo loco exeat, non tamen in publicum prodeat, ne populus in eum scandalizetur. Post hoc, resumptis viribus aliquantulum, unum annum & dimidium in pane & aqua ex-

pleat, exceptis Dominicis & aliis præcipuis festis, in quibus vino, sagimine, ovis, & caseo poterit uti. Finito sic primo anno & dimidio, particeps sit Corporis Domini: & ad pacem veniat, & ad psalmos cum aliis Fratribus canendos in Choro ultimus recipiatur. Ad cornu tamen Altaris non accedat, sed minorum Ordinum tantum officia gerat, deinde usque ad completionem septimi anni tres legitimas ferias, scilicet, secundam, quartam, & sextam, exceptis diebus Paschalibus, qui sint quinquaginta, in pane & aqua jejundet; secundam tamen feriam uno psalterio vel denario, si sit operarius, redimere poterit. Et sic cum septimum annum compleverit, potest eum Episcopus ad gradum pristinum revocare: ita tamen, quod in tribus annis sequentibus sine ulla redemptione omni sexta feria in pane, & aqua jejundet. Et eadem pœnitentia imponenda est Presbytero de omnibus aliis peccatis, quæ depositionem inducunt. 82. dist. Presbyter si fornicationem.

2. Si Presbyter cognovit filiam suam spiritualem, quam scilicet baptizavit, vel in baptismo vel confirmatione tenuit, vel quæ sibi confessa fuit, debet pœnitentiam agere duodecim annis: & etiam debet deponi, si crimen sit manifestum, & peregrinando quindécim pœnitentiam annis, & postea Monasterium intret tota vita sua moraturus ibidem. Episcopus vero, qui talia commisit, pœnitentiam quindécim annis. Ipsa vero mulier debet omnia relinquere, & res suas pauperibus dare, & conversa usque ad mortem in Monasterio Deo servire. 30. quæst. 1. Si quis Sacerdos, & cap. Non debet.

3. Quicumque filiam suam spiritualem, vel matrem cognoscit, septem annis pœnitentiam: & similiter ei consentientes. 30. quæst. 3. Non oportet.

4. Qui contrahit cum aliqua alii desponsata per verba de præſenti, ipsa dimissa, quadraginta diebus jejundet in pane & aqua: & sequentibus septem annis

pæ-

pœniteat. Extra. despons. duorum decem-pisti.

5. Qui cognoscit duas commatres, vel sorores, sive uxor vivat, sive non, ad minus septem annis pœniteat, licet plus deberet. 30. quæst. 4. Si Presbyter.

6. Qui cognoverit Monialem, sive devotam, decem annis pœniteat: & similiter ipsa secundum formam traditam. 27. quæst. 1. De filia. & cap. Devotam.

7. Qui ignoranter cognoscit duas sorores, vel matrem & filiam, vel amitam & neptem, pœniteat septem annis. Si autem scienter, perpetuo privetur conjugio. 34. quæst. 1. Si quis cum duabus.

8. Qui duxit in uxorem eam, quam polluit per adulterium, pœniteat quinque annis. 31. quæst. Si qua vidua.

9. Qui contra naturam peccavit, si sit Clericus, debet deponi, vel Religioni tradi, si corrigibilis appareat, ad perpetuam pœnitentiam peragendam. Si vero sit Laicus, à carnis Fidelium usque ad condignam satisfactionem debet fieri alienus. Extra. de excess. prælat. c. Clerici. Hoc enim vitium majus est, quam cognoscere Matrem. 32. quæst. 7. Adulterii.

10. Qui coierit cum brutis, pœniteat plus quam septem annis, & similiter pro incestu. 32. quæst. 2. Hoc ipsum, & c. seq.

11. Presbyter, qui interest Clauſtralis nuptiis, triennio suspendatur, & si culpa exegerit, gravius puniatur. Extra. de Clauſtralis. desponsat. Cum inhibitis.

12. Qui votum simplex violaverit, pœniteat tribus annis. 27. dist. Si vir.

13. Qui excommunicatus celebraverit, debet triennio pœnitere, & per secundam, quartam, & sextam feriam à vino & carnibus abstinere. 11. quæst. 3. De bis. De panis vero degradati Celebrantis habetur dist. 50. Accedens.

14. Homicida voluntarius sine spe restitutionis deponitur, & pœniteat septem annis. 50. dist. Minor.

15. Homicida casualis pœniteat septem annis, & hoc, secundum Ray. si culpa

casum præceſſit; aliter non, nisi forte ad cautelam. Dist. 50. Eos, & duobus cc. sequentibus.

16. Si quis fecerit homicidium propter necessitatem evitabilem, pœniteat duobus annis. Dist. 50. cap. De bis Clericis.

17. Matricida pœniteat decem annis secundum formam satis aperte traditam 33. quæst. 2. Latronem. Uxoridica vero gravior pœnitentia debet imponi. Talis enim, & qui Dominum occidit, nunquam equitat, nec vehiculo portatur, nec Matrimonium contrahit, usque ad decem annos carnem non comedit, nec vinum bibit, & alia quæ habentur 33. quæst. 2. Admonere, & c. Quicumque.

18. Qui Presbyterum interfecit, pœniteat duodecim annis. Extr. de pœnitent. & remis. cap. 2.

19. Qui injuste alium ad mortem accusat, quadraginta diebus in pane & aqua per septem annos jejundet, & pœniteat, & hoc si accusatus sit occisus; si autem tantum membrum perdiderit, triennio pœniteat. Extra. de accus. Accusasti.

20. Perjurus quadraginta diebus in pane & aqua jejundet, & septem annis sequentibus pœniteat, & semper debet esse in pœnitentia, scilicet interiori. 6. quæst. 1. Quicumque.

21. Qui compulsus conditionaliter à Domino scienter pejerat, si liber sit, quadraginta diebus in pane & aqua (& hoc secundum Gloss. intelligi, vel continue, vel interpolate) pœniteat septem annis sequentibus, non tamen in pane & aqua, ut dicit Gloss. si vero servus sit ejus, qui cum coegerit, tribus quadagesimis & legitimis feriis, scilicet 2. 4. & 6. 22. q. 5. Qui compulsus.

22. Qui pejerat in manu Episcopi, vel in Cruce consecrata, pœniteat tribus annis; si vero in Cruce non consecrata, uno anno. Qui vero coactus, & ignorans ignorantia juris, & postea cognoscit, pœniteat tribus quadagesimis. 22. quæst. 5. c. 2. Qui vero coactus pro vita redimenda,

vel

vel qualibet causa vel necessitate pejerat (quia corpus plus quam animam dilexit) tribus quadragesimis peniteat. Ead. q. 5. c. Si quis coactus.

23. Qui falsum scienter jurat, vel alium jurare cogit, diebus quadraginta peniteat in pane & aqua: septem sequentibus annis nunquam sit sine penitentia, scilicet interiori. Alii etiam si conscii fuerint, similiter peniteant. 22. q. 5. Si quis convictus.

24. Qui mensurat in falsa mensura, 30. diebus in pane & aqua jejuret. Extra. de contrab. empr. Ut mensura.

25. Qui frangunt penitentiam solemnem, sine redeundo ad crimina priora, vel similia, sive redeundo ad negotiationem, vel militiam secularem, quae sibi fuerant interdicta; sola inter Ecclesiam Fidelibus oratione junguntur, à Communionis suspenduntur, à Catholicorum convitiis separantur, & penitere debent decem annis, & communicent in sine vitae. 33. quest. 2. De his vero. & de pen. dist. 5. Si quis vero.

26. Qui canit Missam, & non communicat, decet anno penitere, & interim Missas non cantare. De consecr. dist. 5. Relatum.

27. Presbyter, qui mortuum Clericum involvit in palla Altaris, peniteat decem annis, & mensibus quinque; Diaconus vero triennio & dimidio. De consecr. dist. 1. Nemo pro ignorantiam.

28. Qui committit Sacrilegium, Ecclesiam violando, vel Christum, sive Calicem sacrum pollutis manibus accipit, vel familia Sacrilegia committit, peniteat septem annis. Primo anno extra cimiterium, quod violavit, consistat, secundo anno ante fores Ecclesiae, tertio in Ecclesia; & in hoc triennio carnes non comedat, vinum non bibat, nisi in Pascha vel Natalis non offerat, nec Communionem accipiat: quarto anno communicabit; & in illo & in quinto & sexto & in septimo tribus feriis à carnibus & vino ablineat jejunan-

do, 12. quest. 2. Damon. Comburens autem Ecclesiam quindecim annis peniteat, & eam restituat. 17. q. 4. §. Si quis in verli. majus.

29. Si parentes frangunt sponsalia filiorum, à Communionis triennio separentur: & similiter filii si sint in culpa: si tamen filii secundum promissionem factam contraxerint, excusantur utique: scilicet, quoad penam Ecclesiae, sed non quoad reatum, ex quo dederunt operam in contrarium, 31. q. 3. Si qui parentes. arg. de pen. dist. 1. Si cui.

30. Qui blasphemaverit publice Deum, vel aliquem Sanctorum, & maxime Beatam Virginem, illi debet Episcopus hanc penitentiam injungere: scilicet, ut septem diebus Dominicis præ foribus Ecclesiae in manifesto, dum Missa cantatur, existat, & ultimo illorum dierum Dominico-rum pallium, & calcementa deponat, & corrigiam ligatam circa collum habeat, & septem praecedentibus sextis feriis in pane & aqua jejuret, Ecclesiam nullatenus ingressurus: & quolibet praedictorum dierum tres pauperes, vel saltem unum reficiat, si potest: & si non potest, hac pana in aliam commutetur: quod si renuerit agere omnia supra dicta, interdicitur sibi Ecclesia, & in morte privetur Ecclesiastica sepultura. Extra. De maledic. statuimus. Item Blasphemus si dives fuerit 40. alioquin 30. vel 20. & si ad hoc non sufficit, quinque solidorum usualis monetae pena mulctetur, nullamque misericordiam in hoc habiturus, ut dicitur ibidem.

31. Qui revelat Confessionem, de jure antiquo debet deponi, & omnibus diebus vitae suae ignominiosus peregrinari. De pan. dist. 6. Sacerdos.

32. Qui in dicendis Horis Canonicis, & aliis Officiis divinis discrepat à consuetudine Metropolitanae Ecclesiae, 6. mensibus privatur Communionem, si hoc accidat ex contemptu. 17. dist. De his.

33. Episcopus, qui ordinat sine justa causa Clericum invitum, aut reclamantem,

tem, vel penitus invitum, absolute suspenditur anno uno. 74. dist. cap. 1.

34. Episcopus, qui correctionem de venditione Ministeriorum dissimulat, duobus mensibus: Presbyter quatuor, Diaconus tribus, Subdiaconus, & ceteri ad arbitrium Judicis penitere debent. 1. q. 1. Quicquid invidiabilis.

35. Sortilegus 40. diebus peniteat. Extra. de sortileg. Requisitii.

36. Qui videt in astrolabio, peniteat duobus annis. Extra. de sortileg. Ex tuorum.

37. De stilla sanguinis Altaris cadentis in terram, vel aliquid aliud propter negligentiam Presbyteri, debet Presbyter penitere 40. diebus, si cecidit super pallio Altaris, peniteat quatuor diebus. De consecr. dist. 2. c. Per negligentiam.

38. Si aliquis evomit Eucharistiam propter ebrietatem & voracitatem, si Laicus, peniteat 40. diebus, si Clericus vel Monachus, vel Presbyter, vel Diaconus, peniteat 70. diebus. Si Episcopus, peniteat nonaginta diebus. Et deberet evomitura comburi & juxta Altare collocari. Si vero causa infirmitatis evomuerit, septem diebus peniteat. De consecr. dist. 2. Si qui propter ebrietatem.

39. Quando mus corrodit vel comedit Corpus Christi, de penitentia hujus casus inquire, ubi sit notata. De consecr. dist. 2. cir. fin.

40. Qui domum vel aream voluntarie succendit, sublata vel incensa omnia restituat, & tribus annis peniteat. Extra. de injur. Si quis domum.

41. Qui dederit vel acceperit Communionem ab Haereticis, & nescit hoc esse prohibitum ab Ecclesia, & postea intelligit, peniteat uno anno. Si autem scivit, & neglexit, peniteat decem annis, vel secundum quosdam septem, vel secundum alios quinque. Qui vero permittit Haereticum Missam celebrare in Ecclesia Catholica pro ignorantiam Juris, peniteat quadragesima diebus. Si pro reverentia ejus,

per annum peniteat. Si pro damnatione Ecclesiae Catholicae, & pro consuetudine Romanorum, projiciatur ab Ecclesia sicut Haereticus, si sit impunitus: alioquin peniteat decem annis. Si autem relicta Ecclesia ad Haereticos transferit, & alios ad hoc induxerit, peniteat duodecim annis, tribus extra Ecclesiam, septem inter Auditores, duos extra Communionem sine oblationem, & sic duodecimo anno Communionem, sive oblationem percipiat. 24. q. 1. Si quis dederit.

42. Patronus, qui res Ecclesiae dilapidat, uno anno peniteat. 16. q. 7. c. Filiis.

43. Qui domum suam magicis, & incantatoribus lustrat, vel aliud facit, & qui ei hoc consulit, annis quinque peniteat. 16. q. 5. Qui divinatores, & rap. Non liceat.

44. Qui pacem cum proximo suo non facere jurat, anno uno peniteat, & ad pacem redeat. 22. q. 2. Qui Sacramento.

45. Pro perjurio, adulterio, homicidio dantur pro penitentia regulariter septem anni, & similiter pro fornicatione, licet non ita aspera penitentia injungatur. 22. q. 1. Pradicandum. 33. q. 1. Hoc ipsum, & §. seq.

46. Qui scienter rebaptizatur, septem annis peniteat, & feria quarta & sexta in pane & aqua jejunando tres quadragesimas faciat; & hoc si fecit pro Haeresei introducenda. Si autem pro munditia, id est, pro salute Corporis obtinenda, ut extra. de apost. Capitulo 2. tribus annis peniteat, de Consecr. dist. 4. Qui bis; & talis, qui bis baptizatur & confirmatur, fit de foro Ecclesiae, & cogitur fieri irregularis, ut dist. 94. dictum est. De pana autem talium habetur de consecr. dist. 4. Eor.

47. Qui uxorem adulteram cognoscit, antequam peniteat, tres ann. peniteat. 21. quest. 2. Si quis. Qui vero cognoscit penitentem ante penitentiam peractam, peniteat duobus annis. Eadem quest. Si quis primo.

76. Horum, & aliorum Canonum Penitentialium, quos omnes referre angustia hujus opellæ non patitur, usus est antiquissimus; & ab ipsis propemodum Ecclesiæ incunabulis exordium sumpsit; tum enim Patribus persuasum esset, penitentias convenientes peccatis impositas plurimum ad sanationem peccatoris, & remissionem criminum valere, uti variis eorundem testimonis ostendit Morinus lib. 3. de administr. Sacr. Penit. c. 12. magnopere solliciti fuere Episcopi, ut scirent, quæ, qualesque penitentia singulis quibusque criminibus congruerent; utque in re tanti momenti, à qua ipsius animæ curatio potissimum dependet, securius procederet; nihil fere circa hanc rem promuntiabant, aut statuebant, quod antea à multis Episcopis serio deliberatum, & examinatum non esset; & hac de causa frequenter etiam Synodos cogebant; uti ostendit idem Morinus lib. 6. c. 14. qui ibidem addit, cum morem in Ecclesia per 11. integra secula durasse, nihilque in eo remissum fuisset; idque luculentissimis testimoniis demonstrat.

77. Ex hac tam solerti Patrum cura circa salutare, dignasque penitentibus poenas imponendas variis illi, ex quibus 47. mox retulimus, prodierunt Canones Penitentiales, qui cum tractu temporum multiplicarentur; opportunum visum fuit, pro majori inferiorum Presbyterorum (ad quos circa seculum VIII. impositio penitentia, præsertim pro peccatis occultis, delvovi cæperat) commodo, Canones illos in certum ordinem, & compendium redigere, inquit Morinus in præf. ad lib. Penit. quæ compendia à materia substrata dicebantur *Libelli Penitentiales*.

78. Libri hi Penitentiales auctoritate Episcoporum probati, & evulgati, Presbyteris inferioribus tradebantur eo sine, ut non ex corde, sed, sicut in Penitentiali scriptum erat, penitentias injungerent, uti habetur in Ordine ad celebrandam Synodum circa seculum X. composita

79. Pro assequenda horum Canonum exactiore notitia nonnulla necessaria notanda sunt, atque exponenda.

Primo in his Canonibus frequenter occurrit mentio diversorum graduum inter Penitentes; quorum 4. assignantur ex Canone, qui vulgo Canonibus Epistolæ Canonicae S. Greg. Thaumati, subicitur, per quos gradatim quasi ascendebant, prout quædam omnimodæ, ac perfectissimæ communioni restituerentur. Primus ibidem vocatur *Fletus*, secundus *Auditio*, tertius *Substratio*, & quartus *Consistentia*.

80. Primus gradus juxta cit. Canonem est, *extra partem Oratorii, ubi peccatorem stantem oportet Fideles ingredientibus orare, ut pro se precentur*. In primo ergo gradu constitutus debebat peccata sua publice confiteri, & intrantibus adgeniculari, ut pro se orent.

81. Secundus gradus juxta eundem Canonem ita describitur: *Auditio est intra portam in Naribee, ubi oportet eum, qui peccavit, stare usque ad Catechumenos, & illuc egredi. Audiens enim Scripturas & doctrinam ejiciatur, & precatione indignus censatur*. Per *ly intra portam* intelligitur illud adificiolum introitus Ecclesiæ connexum, quod Germani *DIE HALLÉ* vocant, quodque in Ecclesiis Rusticorum non tantum in Gallia, & Belgio, sed etiam in Bohemia, & fortassis ubique in Germania adhuc in usu est. Duo igitur, teste Morino, cum his Auditibus fiebant. Primo per modum penitentia publicæ diligenter auscultare debebat Scripturam, ejusque expositionem. Secundo nullas manuum impositiones, una excepta, quæ fiebat in ipsa ad hanc stationem admissione, nullasque orationes expiatorias aut alterius generis super eos specialiter fundebant: uti nec opera penalis, ac laboriosa ipsis imponebantur: vel ea, sicut & Fletus, si volebant, voluntarie obibant.

82. Tertius gradus vocabatur *Substratio*, de qua hæc leguntur in laudato Ca-

nonat

none: *Subjectio autem, seu substratio est, ut intra portam Templi stans, cum Catechumenis egrediatur*. Dicebatur autem *Substratio*, eo quod tempore hujus stationis essent quasi continuo sub manu Episcoporum, & Sacerdotum, tanquam rei & humilitati, posttrati, sive subjecti; toto quippe tempore hujus stationis fiebant crebræ manuum impositiones super Penitentes, quibus manuum impositionibus semper conjuncta fuit oratio, quæ fiebat post lectionem Scripturarum, & Sermonem habitum ad Populum. His enim absolutis, voce Diaconi ejiciebantur *Audientes*, alique, qui hisce interesse poterant; quibus ejectis, sub manu Episcopi succedebant hujus stationis Penitentes, atque oratio ipsis propria recitabatur; hisque peractis, etiam ipsi, jubente Diacono, dimittebantur; & eaque dimissione facta, Fidelium *Missæ* inchoabatur. In hac statione Penitentes opera illa laboriosissima, in Canonibus Penitentialibus supra relata, peragere debebant; hinc isthæc statio proprie erat *penitentialis*; atque in Ecclesia nunquam non viguit, cum aliæ stationes disciplina tantum causa fuerint adjectæ.

83. Quarta statio dicta fuit *Consistentia*, de qua in Canone Thaumaturgico: *Congregatio, sive Consistentia est, ut cum Fidelibus consistat, & cum Catechumenis non egrediatur: postremo est participatio Sacramentorum*. Poena igitur, qua multabatur *Consistentes*, hæc erat: quod munera, quæ olim Christiani Sacrificanti ad Altare offerre solebant, ab ipsis oblata, ut Fidelium non acciperentur; unde consequens erat, juxta tunc vigentem disciplinam, eos Ecclesiastica adhuc privatos fuisse, quæ erat poena secunda. Ubi nota, Venerandos Patres primorum seculorum hanc censuram seu stationem instituisse propter illos, qui tres gradus priores jam absolverant, uti nempe post graves ab illis toleratas penitentia molestias aliquanto tempore experirentur, an iis liberati vitam ducerent Fidelis dignam, atque pos-

sent illis tuto credere Corpus & Sanguinem Domini.

84. Quanto tempore in una statione seu gradu esset substituendum, ex gravitate criminis Canones plerumque determinabant; Episcopi tamen in hoc dispensare poterant, atenta vita, conversatione Penitentium, eorumque in peragenda penitentia fervore, mitiusque agere, atque ex inferiori, intermissa media, eos ad superiorem transferre.

Qui plura de hoc scire avet, adeat ipsum Morinum *tr. de Sacr. Penit.* ubi hæc omnia fufe tradit, ac copiosis Veterum testimoniis firmat. Hoc hic adhuc notandum:

85. Quod quanquam hodierna disciplina Ecclesiæ circa imponendas peccatoribus penitentias eodem, quo vetus, agatur Spiritu, quod eas nimirum velit esse qualitati tum criminum, tum ipsorum Penitentium *Salutares & convenientes*; utque sint non tantum ad vitæ novæ custodiam, & infirmitatis medicinam, sed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam, & castigationem: ut loquitur Trident. *Sess. 14. de Sacr. Penit. cap. 8.* quem scopum in condendis Canonibus Penitentialibus habuisse Patres & vetera Concilia ex dictis patet; nihilominus in hoc moderna disciplina à veteri discrepat, quod vetus obstringeret Sacerdotes penitentias & satisfactiones imponere, prout hæc in *Canonibus & Libris Penitentialibus* erant expressæ, uti supra vidimus: at moderna illos ab exacta & exteriori Canonum Penitentialium observantia eatenus absolvit, ut non constringantur penitentias Canonibus præscriptas imponere, sed earum determinatio Sacerdotum prudentiæ, & arbitrio committitur; prout constat ex Trident. *cap. cit.* dicente: *Debent ergo Sacerdotes Domini*, quantum Spiritus & prudentia suggesserit, pro qualitate criminum, & Penitentium facultate, salutares & convenientes satisfactiones injungere.

86. Ex quibus sequitur, quod quam Confessarii hodie non adstringantur ad imponendas penitentias juxta præscriptum Canonum Penitentialium; horum tamen notitia non uno titulo sit etiamnum hodie utilis.

Primo enim horum notitia multum ipsos juvat ad rectum de criminum gravitate ferendum judicium; illud enim crimen, cui Patres majorem penitentiam determinarunt, sine omni hæsitatione gravius censendum erit.

Secundo utilis erit illorum notitia, ut ipsi peccatoribus ostendatur, quam penitentiam, & vindictam illis peccatis olim Patres imposuerint; ut ita levius ferant penitentias leviores, & modum leviorum, quo nunc pia, atque eorumdem fragilitati condescendens Mater Ecclesia cum illis procedit: cum etiam vulgo dictorum Rigoristarum penitentia graviores ne centesimam quidem partem antiquarum satisfactionum attingat, ut recte observat Cardinalis Aguirre.

Tertio hi Canones ostendunt, quomodo de acceleratione, vel procrastinatione reconciliationis non tam ex verbis, quam operibus Penitentium statuendum sit. Ut enim Can. Nicæno 13. notatur: Episcopus de iis penitentibus aliquid humanius statuere, & tempus penitentia contrahere poterit, qui lacrymis, tolerantia, & bonis operibus conversionem & opere & habitu ostendunt.

Denique serviet horum Canonum notitia ipsis Confessariis pro regula directiva ad imponendas his, aliisque peccatis congruas penitentias cum prudentia, & moderatione: si viderint, quales iisdem à Patribus fuerint impostæ.

87. Fructus multiplices horum Canonum non uno in loco exposuit Sanctissimus simul ac zelosissimus animarum Pastor S. Carolus Borromeus: qui ut facilius illum notitiam haurire possent Confessarii, illos ex variis Conciliis, & Canonum collectionibus juxta ordinem decalogi dispo-

ni curavit; atque una cum instructionibus pro Sacramento Penitentia evulgavit, & hodie habentur in *Actis Ecclesie Mediolanensis par. 4.* Quos utinam Confessarii omnes consulerent, expenderentque!

CAPUT III.

De Collectionibus, seu Codicibus Ecclesie Græcæ in specie.

§. I.

De Collectione, quæ vulgo Codex Canonum Ecclesie universæ dicitur.

88. Ante Synodum Chalcedonensem, quæ celebrata est a. c. 451. existisse jam Codicem Canonum, constat ex ejusdem Concilii Actione IV. ibi enim ad mandatum Synodi, ut Canones legerentur, sumpto libro *Actius Archidiaconus* — legit Canones 83. Si quis Episcopus à Synodo depositus, &c. & 84. Si quis Presbyter, aut Diaconus, &c. Habetur hæc Actio apud Colet. tom. 4. *Concil. pag. 1427.*

89. In hoc Codice collectos fuisse Canones præcedentium Conciliorum usque ad CP. primum constat ex Dionysio Exiguus, qui in præfatione suæ Collectionis apud Colet. tom. 1. pag. 2. ita habet: *In principio itaque Canones, qui dicuntur Apostolorum, de Græco translulimus, — deinde regulas Nicænae Synodi, & deinceps omnium Conciliorum, sive quæ ante eam, sive quæ postmodum factæ sunt usque ad Synodum 150. Pontificum, qui apud CP. convenerunt, sub ordine numerorum, id est, à primo capite usque ad centesimum sexagesimum quintum, sicut habetur in Græca autoritate, digestimus.*

90. Ex quo Dionysii testimonio patet primo, illum Codicem à se translatum esse, sicut habebatur in Græca autoritate, seu prout apud Græcos exstabat. Secundo, dic-

tum Græcum Codicem à Nicænis Codicibus initium duxisse, ob Synodi Œcumenicæ primæ autoritatem, etsi in illo Canones haberentur Nicænis antiquiores, regulæ videlicet Conciliorum Ancyranæ, & Neo-Cæsariensis, 11. annis ante Nicænum celebratorum. Tertio, in illo Codice fuisse 165. Canones è diversis Synodis concinnatos, hosque sub continua numerorum serie fuisse dispositos, prout & in ipsa Collectione Dionysii hodie dispositi leguntur.

91. Hoc autem Codice usam fuisse Synodum Œcumenicam Chalcedonensem ex citatione Canonum, ab Aetio lectorum, fit manifestum; si enim à primo Canone Nicæno numeremus usque ad Canonem 4. Antiochenum, prout Canones à Dionysio translati sunt dispositi, deprehendemus illum Canonem 4. Antiochenum esse ipsissimum Canonem 83. & Can. 5. esse 84. Græci Codicis ab Aetio in Synodo lecti. Item regulam 95. *Si quis Episcopus vacans, &c. & 96. Si quis Episcopus ordinationem acceperit Episcopatus, &c. Actio 11. ejusdem Concilii à Reverendissimo Leontio Episcopo recensitas, esse Canones 16. & 17. ejusdem Synodi Antiochenæ. Quod constabit referendo ordinem, & numerum Canonum in dicto Codice contentorum.*

92. In eo namque primo loco ponuntur Canones Concilii Nicæni. . . . 20.
Secundo, Ancyranæ juxta Græcos. 25.
Tertio, Neo-Cæsarienses. . . . 14.
Quarto, Gangrenses. . . . 20.

Summa . . . 79.

Quinto, Antiocheni. . . . 25.
Sexto, Laodicæni. . . . 58.
Septimo, Constantinopolitani in Codice Dionysii. . . . 3.

Summa omnium. 165.

Jam sic: Septuaginta novem Canonibus usque ad Concilium Antiochenum exclusive summatis adde 4. ex eadem Synodo prodibit, quartum Canonem Concilii Antiocheni, *Si quis Episcopus à Synodo depositus, &c.* esse ipsissimum ab Aetio lectum ex hoc Codice sub numero 83. & consequenter quintum ejusdem Antiocheni Concilii esse octuagesimum tertium. Et sic de reliquis duobus. Solummodo advertet I. Dionysium Canones 4. & 5. Ancyranos in unum conflasse, adeoque in ejus Codice Ancyranos esse tantum 24. II. In Codice isto à Justello edito, itemque apud Photium, Balsamonem, Zonaram, & alios Græcos numerati Canones 7. Concilii Constanti, cum tamen in Codice Dionysiano 3. tantum prolesit, & revera in Græco Codice tempore Concilii Chalcedonensis plures non existisse constat ex ipso Codice Græco, quem Dionysius latinitate donavit; cum enim plures non verterit, signum manifestum est, eum plures in illo non legisse. Nec enim audiendi sunt, qui dicunt, Dionysium posteriores 3. ex industria omisisse, eo quod sciret, eos in Ecclesia Romana reprobari; si enim hoc esset, multo magis omisisset Canonem apud laudatos Græcos, & Justellam ordine quartum, quo Sedi CP. secundus à Romana locus asseritur, quem tamen ductus Græci Codicis tertio appendit. Accedit, quod ipse Dionysius testetur: *Sub Theodosio piissimo Imp. apud CP. expositi sunt Canones numero tres.*

93. Author hujus Collectionis paulo post S. Joannis Chryostomi obitum, seu initio sæculi V. fuisse censetur Stephanus Ephesinus Episcopus, cujus nomen in veteri Codice MS. legit adscriptum Vir canonicæ antiquitatis peritissimus Christophorus Justellus.

94. Idem Justellus, eumque secuti Voelius, & Henricus Justellus, Christophori filius, Codicem hunc ediderunt sub titulo, seu rubrica in fronte hujus §. prænotata. In illo continentur Canones moy-

enumerati, servato ordine temporum, nisi quod Canones Nicæni, ob Synodi illius prærogativam, Ancyranis, & Neocæsariensis præponantur, ut supra notavimus. Qui reflexerit ad veneranda illa Concilia, in quibus laudati Canones editi sunt, de eorundem autoritate, & reverentia judicare poterit; eo vel maxime, quod relati fuerint in Codice à Synodo Œcumenica Chalcedonensi approbati; qui Codex insuper à Græca & Latina universali Ecclesia à pluribus sæculis receptus, & approbatus fuit.

95. Ex his sequitur, qua veneratione disciplina his Canonibus expressa suscipienda & probanda sit; qua cura, & studio, ubi adhuc superflus est, conservanda, labefcens sufficiens, abolita, seu potius conculecata restituenda; omnia tamen moderantè Christiana prudentia, qua temporum, & personarum circumstantias, ubi de disciplina agitur, sedulo expendit.

§. II.

De Codice Canonum Ecclesiæ Græcæ post Synodum Chalcedonensem aucto.

96. **V**idimus §. præcedenti Codicem, quo sæculo V. usa est Synodus Œcumenica Chalcedonensis, constituisse 165. Canonibus, desumptis ex Conciliis supra N. 91. relatis. Videndum nunc est, quando, à quibus, & quomodo auctus sit.

97. Primam itaque inangem non diu post Concilium Chalcedonense per adjunctionem Canonum ejusdem Concilii, & Canonum Concilii Ephesini, ante Chalcedonense, videlicet a. c. 431. celebrati, accepit. Id suaderit potest testimonio Justiniani Imp. qui sæculi VI. initio clavum imperii tenuit; is enim Novella 131. fancivit: *Vicem legum obtinere sanctas ecclesiasticas regulas, quæ à SS. IV. Conciliis exposte sunt, aut firmatæ, hoc est, in Nicæna 318. in CP. SS. 150. Patrum, & Ephesina I. in qua Nestorius est dam-*

natus, & in Chalcedonica, in qua Eutiches cum Nestorio anathematizatus est. Quin eo pariter tempore Canones vulgo Apostolorum in unum jam constatos, & huic Codici cum nonnullis S. Basilii insertos fuisse; adeoque Codicem illum secundum augmentum accepisse, constat ex collectione Joannis Antiocheni, dicti Scholastici, ab eodem Justiniano ad Thronum CP. promoti, quem infra N. 103. referemus.

98. Tertium augmentum subit sæculo VII. corrente; in eo siquidem regnante Justiniano II. Synodus in Trullo CP. celebrata, vulgo dicta Trullana, non modo eos omnes, quos Jo. Antioch. in suum opus congererat, verum etiam complures alios secundo suo Canone confirmavit: nimirum Canones Concilii Carthagenensis, Concilii CP. sub Nectario Patriarcha, & Theophilo Alexandrino: item multorum PP. Canones, puta Dionysii, Petri Alexan. Greg. Neocæs. Athanasii, Basilii, Gregoriorum Nysseni, & Nazianzeni, Amphiloicii Iconii, Timothei, Theophili, & Cyrilli Alexandrinorum, Gennadii CP. & unum denique Canonem à Synodo sub S. Cypriano celebrata. His Canonibus si addantur 102. Canones in ipsa Synodo Trullana editi, integrum Codicem Græcum, quo sæculo VII. usi sunt, habebimus.

99. Quartum augmentum accepit labente sæculo VIII. quo Synodus Nicæna II. 22. Canones edidit, quorum primo sex priorum Conciliorum Generalium decreta confirmavit, qui 22. Canones itidem Codici Græcorum additi fuerunt.

100. Quintum augmentum accepit IX. flacente sæculo, quo Photius Patriarcha CP. duas Synodos habuit, alteram in Templo SS. Apostolorum, in qua editi 17. Canones; alteram in Templo S. Sophiæ sive Sapientiæ, quæ tres Canones evulgavit. Qui Canones primum à Photio in Nomocanone ab ipso elaborato editi, postmodum ab Ecclesia Orientali in par-

tem

tem Juris Canonici recepti sunt. Atque ex his, & præcedentibus integrum Jus Canonicum Græcum constatum est. Quod cum commentariis Balsamonis, Zonaræ, & Aristeni græce & latine evulgavit Beveregius.

101. In his Collectionibus, seu potius in hac Collectione successive aucta, observandum est I. in illa Decretales Romanorum Pontificum Canonibus non annumerari, atque ex Occidentalium Synodorum Canonibus præter Sardicenses, & Africanos, alios non reperiri. II. In illa servari ordinem temporum.

102. Quæ Codicis hujus apud Latinos sit autoritas, quantum ad Canones Apostolicos supra jam vidimus; quantum ad Photianos vero notandum, Canones 17. priores, utpote in atrocinali Conciliabulo factos, à Latinis proflus rejici: è tribus vero posterioribus, est etiam editi sint à Concilio à Latinis reprobo, secundus nihilominus refertur à Gratiano 7. q. 1. c. 45. & ex illo à S. Th. 2. 2. q. 185. a. 4. ad 2. & ab Innocent. III. c. 11. de renunt. Nam quin ibi Innoc. citet Canillum, prout in Gratiano extabat, nullus ambigit; quod autem Concil. CP. cui illum tribuit, ibi vocet unum esse è Conciliis, quæ sicut 4. Evangelia Ecclesia Cathol. veneratur, evidenter ostendunt, Innocentium hunc Canonem tribuisse Concilio CP. I. in quo doctissimi Pontificis Scripturarum memoria lapsus fuisse, monet Lupus tom. 2. Scholior. pag. 1560. Quantum ad reliquos consulendi sunt eruditi Canonum, Conciliorumque Evulgatores.

§. III.

De Collectionibus Græcorum, quæ aliam, quam temporum, ordinem servant.

103. **E**xstant præterea celebrioris alicujus quot Græcorum Collectiones, in quibus ordo argumentorum tenetur, & una, in qua secundum ordinem alphabe-

ticum disponuntur. Inter priores prima est Joannis Antiocheni supra laudati, cuius tempore, cum similis Collectio in 30. titulos distributa jam circumferretur, in illa duo vitia sibi deprehendere visus est. I. quod in ea omisi fuerint Canones S. Basilii; alterum, quod sub singulis titulis non refererentur Canones similes, sed insignior tantum, aut is, qui convenientior visus fuerat: unde nascebatur incommodum non reperendi facile Canones ejusdem generis in unumquodque argumentum. Quapropter ad novam Collectionem adornandam, in qua dictis defectibus mederetur, permotus est, quam in 50. titulos distribuit, & sub singulis plures Canones collocavit, eidemque 86. Canones S. Basilii inseruit.

104. Hanc Collectionem in duas partes distribuit Author, in quarum prima Canones integros recenset, in secunda vero Canones in prima integre relatos solummodo cum suis fontibus allegat, ipsique Leges Civiles integras, quas argumento congruas reperire potuit, subjicit. Ita ut hæc Collectiones, vel potius una constans duabus partibus recte dici possit *Concordia Legum & Canonum*, in qua cernitur, in quo ambæ Potestates concurrant ad tituli cujusque argumentum.

105. Secunda est Photii Patriarchæ CP. pariter supra laudati. Hic duas fecit Collectiones juxta seriem argumentorum, Joannis Antiocheni compilationi in eo similes, quod Canones integri in prima referantur, in altera autem simpliciter latentur, siquæ subjiciantur leges congruæ, quoties tales repetere sunt; multifarie vero ab ea discrepantes. Nam

I. Ambæ dividuntur tantum in titulos IV. verum singuli tituli secantur in capita plura, aut pauciora, prout argumenti conditio postulabat.

II. Utrique adjecti sunt omnes Canones post Joannis Antiocheni Collectionem facti.

III. Argumenta aliter disponuntur, si-

que

que initium ex Theologia & Fide, Canonibus & Ordinationibus. Qui titulus, in quo hæc 3. argumenta tractantur, in 38. capita dividitur. Quorum primum ad fidem pertinet, secundum varia recipiendorum Canonum genera enumerat, cætera ad Ordinationes spectant, sub quibus continentur electiones, translationes, aliæque viæ, quibus dignitates, aliæque ministeria ecclesiastica acquiruntur, nec non collatio Ordinum, in quo ordinem servat primæ partis Decreti Gratiani, item libri I. Decretalium formæ fere similem.

IV. Photii Collectiones ampliores sunt, quam Joannis Antiocheni non solum quantum ad Canones Conciliorum, sed etiam quantum ad Canones à Patribus Græcis delumptos.

V. Legum tantum compendium à Photio refertur, integræ referuntur à Joanne Antiocheno. Balsamon in utraque Collectione notat leges ab illo relatas, sed à Constantino, Leonis Philosophi filio, abrogatas; leges vero post Basilicorum editionem promulgatas addit. Per quod horum Codicum utilitatem servavit.

106. Tertia, cujus ordo excellens, est Harmenopoli Judicis Theſſalonicensis. Dividitur hæc Collectio in sectiones 6. quarum 1. spectat Episcopos, 2. Sacerdotes, Diaconos, & Subdiaconos, 3. Clericos, 4. Monachos, 5. Laicos, 6. Mulieres. Unaquæque subdividitur in titulos congruos. Reperitur initio toni *Juris Græco-Romani*. Decreta Summorum Pontificum propter Sedis eorum dignitatem in hac Collectione cum Conciliorum, & Patrum aliorum Canonibus relata sunt; at secundo post Synodorum Generalium Canones loco.

Hic obiter nota, in tomo mox relato *Juris Græco-Romani* etiam reperiri duos Libros *Decretorum*, aut *Sententiarum Synodaliū Patriarcharum CP.* quibus similes sunt Decretales Pontificum RR. ex consilio Cardinalium conditæ: quarum magna est copia in Collectionibus Co-

poris *Juris*, *Decreto Gratiani* posterioribus.

107. Quarta est Matthæi Blastare, a. 1335. concinnata, in qua omnes Collectiones Græcæ, de quibus locuti sumus, in unum corpus redactæ sunt. Hujus Collectionis, vel potius farraginis titulus est, *Syntagma alphabeticum*, & dividitur in viginti titulos, tituli in capita, quorum argumentum incipit ex litera tituli, scilicet a. b. c. &c. Opus hoc, cujus censuram poteris videre apud Gibertum *ro. 1. Prolegomenorum parte 1. tit. 24. cap. 3. pag. 237.* mole, confusione, interpolatione & incommodum est, & ingratum.

CAPUT IV.

De Collectionibus Ecclesiæ Latinæ, quæ extra Corpus *Juris*, quo hodie utimur, vagantur.

§. I.

De veteri Codice Ecclesiæ Romanæ.

108. **L**egatos Apostolicos in supra N. 88. relata Synodo Chalced. diversum habuisse Codicem à Codice Orientalium, quem ibi sub titulo *Codiciſ Ecclesiæ universæ* retulimus, variis momentis adstrui potest. Primo, cum in eadem Synodo Actione 16. pro asserenda prærogativa Episcopi CP. ab Orientalibus in suo Codice Canonum lectus esset Canon 3. CP. Lucentius Reverendissimus Episcopus Sedis Apostolicæ Legatus dixit: *Canones istius Synodi in Synodiciſ Constitutionibus non habentur: uti videre est apud Coletum tom. 4. Concilior. pag. 1747.* Ergo Lucentius diversum à Græcis habuit Codicem, cum Græcorum Codex Canonibus CP. terminatus fuerit, ut supra vidimus.

Secundo. In eodem Concilio, eadem Actione, pag. mox citata Paschasius Reverendissimus Episcopus, Vicarius item Sedis Apostol.

Apostolicæ, recitavit Canonem VI. Nicæni Concilii his verbis: *Quod Ecclesia Romana semper habuit primatum, teneat autem Aegyptus, ut Episcopus Alexandria omnium habeat potestatem, &c.* Quam regulam postmodum devotus Secretarius divini Conſistorii ex dato sibi ab Aetio Archi-Diacono Codice pariter recitavit, omiſſis illis primis verbis, quod *Ecclesia Romana semper habuit primatum; & sequentibus aliter relatis, videlicet: Antiquæ consuetudines teneant in Aegypto, ut Alexandrinus Episcopus omnium habeat potestatem.* Ex quo fit manifestum, alium fuisse Codicem, quo usus fuit Paschasius, & alium, quo Græci utebantur, atque aliis verbis Canonem 6. Nicænum ex utroque Codice relatum.

Tertio. Ex testimonio Dionysii Exigui, qui in sua præfatione, translationi Codicis Græcorum præfixa, testatur, se cohortatione quorundam, qui *confusione* pristini Codicis Romani offendebantur, inductum fuisse, ut novam translationem Canonum adornaret, videlicet, illam, in qua post Canones Apostolorum integram, & immutatam omnino Codicem Græcorum in hoc Concilio lectum ponit: ergo manifeste Codex Ecclesiæ Romanæ, & numero Canonum, & dispositione eorundem erat diversus ab illo.

109. Codex iste Ecclesiæ Romanæ Innocentii I. temporibus, seu sæculi V. initio non continebat alios Canones, præterquam Nicænos, & Sardicenses, & hos quidem in unum conſatos, atque continua numerorum serie collocatos, & quasi pro iisdem reputatos.

110. Prima pars constat duplici evidenti testimonio ipsius Innocentii, quorum primum habetur in ejus *ep. ad Clerum Populumque CP.* relata apud Colet. *tom. 3. Concilior. pag. 63.* & ita sonat: *Canonibus porro obsequendum esse scribimus, qui Nicæni sunt decreti; quos solos consecrari decet Ecclesiam Catholicam, & juxta eos judicare.* Secundum

Tom. I.

in eisdem Pontificis *ep. ad Theophilum Alex.* relata apud eundem Colet. *tom. cit. pag. 69.* ubi ita scribit: *Itaque si conscientie confisi, non quoque judicio accurre ad Synodum proximè celebrandam, & illi juxta Nicæni Concilii Canones, & decreta contende: alios quippe Canones Romana non admittit Ecclesia.*

111. Secunda pars patet ex factò Zozimi, & Bonifacii Romanorum PP. Innocentii I. Successorum in famosa illa causa Apiarii Presbyteri Africani, ab Urbano Episcopo exauctorati, atque ab ea sententia ad judicium Sedis Apostolicæ appellantis. Cum enim ea de causa Synodus Carthagine esset celebranda, Zozimus P. M. Legatos misit ad Africam cum mandatis ad illius Regionis Synodum (quæ est VI. Carthaginensis) deferendis: quorum primum fuit de *Appellationibus Episcoporum ad Romanum Pontificem* tuendis, quod caput, jussu ejusdem Pontificis, ex eisdem Communitario sibi Romæ dato, Legati in eodem Concilio probarunt ex Canone 3. & 7. Concilii Sardicenses, quos tamen sub nomine Canonum *Nicanorum* laudarunt. Idem fecit Bonifacius Zozimi Successor: ergo Canones Nicæni, & Sardicenses in illo Codice erant in unum conſati.

112. Nec dicas cum Centuriatoribus Magdeburgensibus, præfatos Pontifices id præmeditata fraude fecisse: si enim hoc factum fuisset, non est credibile, quod Bonifacius ad instantiam Patrum Carthaginensium, qui de genuitate Codicis Romani dubitabant, e vestigio Legatos suos ad Orientales Ecclesias pro conquirendis authenticis exemplaribus Concilii Nicæni misisset; siquidem non erat tam crasse naris, ut casu quo in mala fide fuisset, non olfaceret, illis exemplaribus impiorum suam detectum iri. Nihil proin verosimilius, quam erroneam illam Zozimi, & Bonifacii citationem inde nataam, uti advertit de Marca, quod Canones Nicæni, & Sardicenses in eodem volumine, nullo discrimine

crimine adhibito, sub titulo Canonum Nicænorum descripti essent. Quo proin Codice Magdeburgensium putidæ calumnie prorsus profligantur.

113. Vetus Codex, quo ante Dionysianum utebatur Ecclesia Romana, non est ille, quem ex vetusto MS. Christophori Justelli Henricus ejus filius, & Voelius tom. 1. *Bibliothecæ Juris Canonici veteris* ediderunt; sed Græculi alicujus ad latinam aspirantis, suumque in ea profectum periclitantis tentamentum, prorsus Romana Ecclesia indignum, ut bene advertit Quenellius. Id constat ex hujus Codicis stupenda barbarie, & quia in eo continentur plurima toti antiquitati ignota, præter alias suppositionis notas, quas legere poteris apud Eruditos.

114. Verosimilius igitur est, Codicem veterem Romanæ Ecclesiæ esse illum, quem mox citatus Quenellius in re canonica peritissimus *tom. 2. operum S. Leonis* vulgavit ex quodam manuscripto vetustissimo, quod ad minus 600. annorum testatur ipse, & Scriptor illius pag. 34. adnotat, illud à se ex vetustissimo exemplari conscriptum fuisse. Characteres enim prisce hujus Codicis eidem magnopere conveniunt. In illo siquidem primo Canon VI. Nicæni Concilii eodem modo legitur, quo in Concilio Chalced. legit Paschasius ut supra N. 108. vidimus. *Secundo* Canones Nicæni cum Sardicensibus in eo confunduntur, ita ut nomine Nicænorum 46. exhibeantur. *Tertio* in eo non quidem absunt Canones Constantinopolitani, sed ita extra ordinem positi, & ad calcem rejecti, ut dubitari nequeat, quin post Synodum Chalcedonensem, cujus etiam Canonibus postponuntur, adjecti fuerint; adeoque tempore hujus Synodi in hoc Codice non haberentur. *Quarto* confusio, qua primum Romanæ Ecclesiæ Codicem laborasse testatur Dionysius supra, nec huic Codici deest. Constat autem 60. capitulis, quæ in plura capita, vel Canones dividuntur: non quidem, ait laudatus

Quenellius, quod omnes Codicis partes ejusdem ætatis credendæ sint, sed aliæ aliis antiquiores, & per succedentia ætatum intervalla additæ: de quibus consule laudatum Authorem l. c.

§. II.

De Codice Ecclesiæ Africanæ.

115. **H**IC Codex, quem Voelius, & Henricus Justellus tom. 1. *Bibliothecæ Juris Canonici veteris* ediderunt, quemque Binius in 4. partes dissectum, & quod pejus, perturbato ordine, suæ Conciliorum editioni inseruit, est ille ipse, quem sæculi V. fine, aut VI. initio suæ Collectioni Canonum de novo adornata sub titulo: *Synodi apud Carthaginem Africanorum*, inseruit Dionysius Exiguus; eadem serie est modo, quibus apud Justellum cit. & apud Labbæum Tom. 2. *Concilior.* prostat.

116. Esto autem Dionysius huic Codicis Titulum particularis Concilii præfixerit, probabilis tamen est, eundem ex omnibus Canonibus Africanis, & Conciliorum illius Regionis, usque ad Concilium Carthaginense VI. inclusive actis, sua auctoritate Collectionem aliquam adornasse, omisis iis, quæ sibi pro disciplina Ecclesiæ utilis aut necessaria non videbantur, aut suæ Collectioni jam antea erant inserta, adeo, ut Codex ab illo concinnatus, atque à Justello & Labbæo græcæ & latine editus, *Compendium* aliquod sit eorum, quæ in illa Carthaginensi VI. Synodo 217. Patrum partim ex præcedentibus Concilii lecta, partim de novo decreta sunt.

117. Canones Africanis, aliæque Synodorum Acta, quæ hunc Codicem constituent, ab Authoribus, & Conditoribus primum latine edita, postea in græcum versa, ab Orientalibus in Codicem Canonum sub nomine *Concilii Carthaginensis* recepta, & à Synodo Quin. Sexta seu Trulla-

Trullana Canone 2. probata sunt. Adeo ut integer Codex in corpore Canonum Ecclesiæ Græcæ hodie exitet. Cumque integer pariter in Codice Canonum Dionysii Exigui contineatur, ipsaque Ecclesia Romana (ut mox videbimus) Dionysii Codicem probaverit; etiam hunc Africanum probasse, ac recepisse censenda est. Unde de Canonibus Africanis notant Correctores Romani ad Can. 1. dist. 20. *Eos Ecclesia Romana videtur probasse & usa eis esse, quando in Codicem Canonum referendos curavit.*

§. III.

De Codice Dionysii Exigui.

118. **D**IONYSIUS natione Scythæ, sed moribus Romanus, quemadmodum cognomento Exiguus, sed doctrina & sanctitate Maximus (ut habet Eminentissimus Cardinalis Bellarminus S. J. de *Scriptoribus Ecclesiasticis*) hujus Collectionis Author est. Vixit tempore Theodorici Regis Italiæ, & Successorum ejus, seu ad Sæculi V. finem, & Sæculi VI. initium; ac præter hanc celeberrimam Canonum Collectionem a. c. 527. adornatam scripsit Cyclum Paschalem, in quo, omissa profana computatione annorum ab Imperio Diocletiani impiissimi Cæsaris, numerare coepit annos ab Incarnatione D. N. J. C. Quapropter hanc Æram, nunc vulgarem, *Dionysianam* vocitamus.

119. Causam assumpti in hoc edendo Codice laboris assignat ipse in sua ad Stephanum Episcopum Solontanum Epitola, quæ Codici per modum præfationis præfigitur, in qua ita scribit: *Quamvis charissimus frater noster Laurentius assiduæ, & familiari cohortatione parvitatem nostram regulas Ecclesiasticas de græco transferre perpulerit, in consensione credo prisce translationis offensus, nibilonianus ingestum laborem Tuæ Beatitudinis consideratione suscepit.*

120. Oeconomiam operis paulo post explicat his verbis: *In principio itaque Canones, qui dicuntur Apostolorum, de græco transfulimus: — deinde regulas Nicæni Concilii, & deinceps omnium Conciliorum, sive quæ antea, seu quæ postea facta sunt usque ad Synodum 150. Pontificum, qui apud CP. convenerunt, sub ordine numerorum; id est, à primo capitulo usque ad 165., sicut habentur in græca auctoritate, digestissimus: tum S. Chalcedonensis Concilii decreta subdentes, in his Græcorum Canonum finem declaramus. Ne quid præterea notitiæ vestra videamur subtrahere, statuta quoque Sardicensis Concilii, atque Africanis, quæ latine sunt edita, suis à nobis numeris cernuntur esse distincta.*

121. Bisariam dividitur Codex Dionysianus, cujus partes, sive tempus collectionis, sive materiam spectes, plurimum inter se discrepant. Nam, quantum ad primam, prior (de qua solum intelligenda sunt ea, quæ ex ipsius Dionysii præfatione mox transcripsimus) ipso teste in præfatione partis posterioris, longo tempore posteriorem præcessit; quantum vero ad secundam, prior solos Canones Conciliorum partim græcorum, partim latinorum continet; posterior vero solas decretales epistolas, sive decreta Romanorum Pontificum exhibet: & propterea ab ipso vocatur *Collectio Decretorum Pontificum Romanorum.*

122. Itaque prior pars hujus Codicis, præter Canones Apostolorum, atque illos, qui in Codice Ecclesiæ Græcæ supra N. 90. continebantur, adhuc continet Canones Concilii Chalcedonensis 27. Sardicensis 21. & Carthaginensis, seu diversorum Africanæ Conciliorum, qui Codicem Africanum, de quo §. præcedenti, constituant, 138. posterior vero præteritorum Sedis Apostolicæ Præfatum constituta, incipiens à decretis Siciliæ Papæ, qui sub finem sæculi IV. sedit: *Quæ, ait Author in præfatione hujus partis, quæ valuit cura*